

V C  
3484



3,35b  
N 3

F

S  
o



3, 35b  
N 33, 35b  
INFORMATIO FUNDAMENTALIS

SUPER

HODIERNO BOHE-  
MIAE STATV:

VBI ET

SUCCESSIONIS IVRALI-  
QVIDE DEDVCVNTVR, ET AD  
oculum describuntur, quæ Inuictissimus &  
Gloriosissimus Imperator

FERDINANDVS II.

ET SERENISS. DOMVS AV-  
STRIACA in dicto regno habent;

DANIAE ET NORWEGIAE, &c. REGI  
Christiano IV. necnon in superiori & inferiori cir-  
culo Saxonico, Imperii statibus,  
communicata

A

*Sacra Caesarea Maiestatis sua Legatis*

DD. HENRICO IVLIO SAXONIAE, ANGARIAE  
& Westphaliae Duci, Cubiculario, & militum Praefecto Ce-  
sareo, &c. & Hieronymo von Chunro/ Confilia-  
rio Imperiali-aulico.

*Cum Privilegio S. Caesarea Maiestatis.*

☉): (☉)

Frankofurti, apud Ioh. Theobaldum Schonvvetterum

ANNO M. DC. XX.

Vc

3784

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SALE)

1323

GODFRIDUS BOHE  
MIE STAV:

SVCCSSIONIS IVALL  
GLORIOSISSIMO IMPERATOR

FERRDINANDVS II  
ET SERENISSIMO DOMINO AV

DANIA ET NORVEGIAE, & REGI  
CHRISTIANO V. SACERDOTI & APOSTOLICE

BRITANNIAE  
FRANCIAE

SAE CAESARIS MAIESTATI

D. D. HENRICO OLYVIO SAXONIAE, ANGLIAE  
& WALPHRAE DACI, CATHOLICAE, & APOSTOLICAE  
SAECRE, & ELECTORIS PALATINI SACERDOTIS

CAESARIS MAIESTATI

FRANCORTII, apud Ioh. Theobaldum Schoenvernerum

ANNO MDCXX





INFORMATIO  
FUNDAMENTALIS  
SUPER MODERNO REGNI  
BOHEMIÆ STATV.



E HODIerno Regni Bohemiæ statu, opiniones & discursus sunt multi & varii, inter quos ad manus nostras venit quidam, in quo controuertitur, vtrum causa statuum Bohemiæ sit iusta vel non? Et vtrum dicti status habeant potestatem deponendi Regem, & eligendi in eius locum alterum? Ex quo fundamento Regem Ferdinandum repudiarint; Et vtrum rationes eorum sint validæ, & quæ media habeant dicti Bohemi pro sua & Regis, qui ab ipsis electus assertitur, conseruatione. Et quia ille discursus fundamento vero & solido caret, operæ pretium visum est, rei veritatem sincere ex fontibus priuilegiorum, constitutionum, aliorumque monumentorum publicorum, ne rerum ignari hac in parte decipiantur, detegere.

Dicitur itaque primum in discursu illo, Regnum Bohemiæ esse electiuum, & adducitur in probationem, quod per spatium sex ætatum liberas electiones status continuauerint, & earum virtute acceperint, Reges è

4      I N F O R M A T I O   F U N D A M E N T A L I S  
domo Lucemburgica, ex Polonia, & Lythouania, è statu  
Baronum & è domo Austriaca.

Ad hoc itaque respondetur: Regnum Bohemix ele-  
ctium non esse, nisi in casu, ubi nullus ex stirpe regia, ne-  
que masculus, neq; femina fuerint superstites: Quod cla-  
rissime omni ambiguitate seposita, probat ex priuilegiis, &  
cōstitutionibus, b conclusionibus comitiorum, & tabulis  
Regni, c & formulis iuramentorum, quæ secundum leges  
Regni plerique officialium Regi, eiusque hæredibus d  
præstare tenentur.

a *Aurea Bulla Caroli IV. Imperatoris.*

*Aurea Bulla eiusdem Bohemix.*

*Dispositio Regis Wladislai.*

*Reuersales Imperatoris Ferdinandi.*

b *Constitutiones A. I. B. 20. B. 25.*

c *Comitia Anni 1547. tabulis Regni inserta.*

d *Constitutiones Regni B 2. B. 8.*

Nec verum est, quod electiones liberas à sex ætatibus  
continuauerint. Nam quod Rex Iohannes ex domo Lu-  
cemburgica ad Regnum peruenerit, id factum est, quia  
habuit in uxorem filiam Regis Bohemix Elisabetham,  
quæ defuncto fratre Wenceslao Rege, absque liberis,  
hæres Regni erat. Henricus quidem Dux Carinthix ha-  
buit seniore sororem Annam in uxorem, per quam hæ-  
reditatem Regni apprehendit, tamen ab Imperatore  
Heinrico ex ea causa per sententiam Regno priuatus est,  
quod Imperatori rebellauerit, & à sua Imperiali Maie-  
state pro debito suo inuestituram regni petere contem-  
pserit.

*Historia Bohemica Hagek fol. 281. Dubranus.*

Vnde cum Regnum Bohemix, exclusa seniore sorore  
Anna ad iuniorem Elisabetham de iure deuolutum fue-  
rit,

REBEV. DE BOHEMIAE STATV. III  
rit, eam Imperator ad petitionem Procerum Bohemiae  
filio suo matrimonio iunxit, & taliter Rex Iohannes per  
coniugem Regnum acquisiuit. (*Aeneas Sylvius.*)

Parum ergo domus Lucemburgica praetensioni liberae  
electionis Bohemorum suffragatur, cum sit hic idem ca-  
sus, qui sub Ferdinando I. Rege contigit, de quo latius in-  
fra. Carolus Quartus filius praefati Iohannis non fuit per  
electionem liberam assumptus in Regem, sed successit pa-  
tri absque vlla statuum requisitione. Wenceslaus, filius  
Caroli IV. fuit similiter absque vlla requisitione statuum  
ad mandatum patris tertio suo anno in Regem corona-  
tus, & quod iure successionis tanquam primogenitus ad  
Regnum peruenerit, ciuitatum Regni Bohemiae & Mar-  
chionatus Morauiae literae demonstrant. *Hagek fol 315. libe-  
ra ciuitatis Pragensis.*

Post mortem Wenceslai Sigismundus frater eius, &  
filius Caroli IV. non per electionem, sed successionis iu-  
re Regni gubernacula pariter suscepit. Et licet postmo-  
dum Pragenses cum nonnullis seditiofis tempore tumul-  
tum Liscouianorum, dum ferro & rapinis vniuersum  
Regnum Bohemiae vastaretur, ab ipso desciuissent, &  
Morauos aliosque status incorporatarum Prouinciarum  
ad defectionem sollicitassent: pro responso tamen acce-  
perunt, non posse se absque dispendio honoris & bonae  
famae a Rege suo legitimo & haereditario discedere.

At cum Pragenses nihilominus ausi fuissent in Regem  
filium Witoldi Ducis Lythuaniae Noributum nomine,  
eligere, tamen illi electioni status Baronum & Nobilium  
aduersati sunt, ex causa, quod a Rege haereditario iam re-  
cepto & coronato discedere fas non esset: Demum Pra-  
genses ipsimet Noributum Regem a se vocatum in carce-  
res detruserunt, & loco aureae coronae probrosa veste in-

datum, & cucullo inuerso coronatum, Regno cum infamia expulerunt. Tandem post multas calamitates & deuaftationes Regni, quas experti sunt, errorem suum cognoscentes, iterum ad obedientiam Regis sui Sigismundi redierunt. Et ita exemplum allegatum filii Ducis Lithuaniae non probat sententiam praetensa continuationis liberae electionis.

Sigismundo mortuo absque filiis, successit Albertus II. Archidux Austriae, qui filiam Sigismundi Elisabetham haeredem Regni in vxorem habuit, & hoc quoque exemplum simile successioni Regis Ferdinandi I. de quo latius infra.

Mortuo Alberto Imperatore cum Bohemi elegissent pro Rege Albertum Ducem Bauariae, is iuste & sapienter illam electionem tanquam inualidam in praerudicium haeredis legitimi recusauit. Postmodum hanc electionem Morauis Bohemis exprobrarunt pro manifesta in Regem suum perfidia & rebellionem, vt docent acta Comitiorum eius temporis, super quibus a Ladislao Rege accersitis in consilium proceribus Hungariae & Austriae, lata fuit solennis sententia.

Successit itaque patri suo Alberto Ladislao, qui absque liberis cum Regis Galliae Caroli VII. filiam in vxorem ducere vellet in viridi adhuc iuuenta (non absque suspitione veneni a Georgio successore propinati) diem suum obiit.

Post mortem Ladislai, etsi Casimirus Rex Poloniae, qui regis defuncti sororem Elisabetham matrimonio iunctam habebat, nomine vxoris suae Regnum iure praetenderet, tamen per factiones aliquorum Georgius Podiebracius Regnum occupauit, & licet potiores ex statibus contradicerent, tamen id vsque ad mortem detinuit.



BOHEMIÆ STATUS. 7

Ipso autem mortuo, tametsi hæredes masculos reliquerit, tamen Regnum iterum ad ordinariam de iure successionem rediit, & Bohemi wladislaum filium Casimiri Regis Poloniae, & Elisabethæ filia Regis Alberti, & sororis Ladislai (cuius nomine, ut supradictum est, Regnum Bohemiae Casimirus prætendebat) ad Regnum vocarunt, quod ipso iure & riq ore priuilegiorum ad eum pertinebat. Hic filium suum Ludouicum in puerili adhuc ætate quintum agentem annum coronari fecit in Rege Bohemiae, & per priuilegium, cuius supra mentio facta est, ordinauit, ut moriente Ludouico absque liberis, Anna filia Wladislai & soror Ludouici, tanquam vera hæres ei in Regno succederet. Cum ergo Anno Domini 1526. Ludouicus in prælio contra Turcas decessisset, Bohemiae status nulla facta mentione iuris, quod Annæ competebat, maritum eius Ferdinandum in Regem elegerunt, & ab eo Reuerfales desuper acceperunt, quod uidelicet ex nulla obligatione, sed ex libera & bona voluntate eum elegerint: Verum Imperator Ferdinandus, uisus Rege Bohemiae priuilegiis & iure, quod Annæ uxori competebat, in Comitibus publicis voluntate & consensu statutum eiusmodi literas reuersionales anno 1545. sibi restituit fecit, & alias dedit, in quibus expressum est, Regnum de iure ad Annam uxorem, tanquam veram hæredem peruenisse, & per hoc Ferdinandum tanquam maritum à statibus electum esse. Et quia turbulenti homines nouas seditiones in regno excitarunt, ex occasione belli, quod cum Iohanne Friderico Duce Saxoniae gestum fuit, & factis conuenticulis, articulos aliquot in præiudicium Regis concluderunt, inter quos fuit vnus, ne iuramentum hæredibus Regis præstetur, & ne uiuente Rege hæredes coronentur, addentes causam, præiudicare hoc liberae electioni,

8      I N F O R M A T I O   F U N D A

electioni, quam sibi de iure competere asseuerabant.

Ferdinandus sedatis tumultibus anno 1547. comitia publica statibus indixit, de iniquitate horum articulo- rum conquestus est, & tandem talis conclusio in dictis comitiis facta fuit: Vt status Regni Bohemiæ in posterum se gerant erga hæredes suæ Maiestatis, secundum teno- rum aureæ Bullæ Caroli IV. Imperatoris, Priuilegii Wladislai & reuersalium suæ Maiestatis anni 1545. Et ita hæc tria priuilegia ex conuentione statuum cum sua Ma- iestate posita sunt pro norma & fundamento successio- nis, quod ut in posterum pro lege habeatur, pluribus in lo- cis constitutionibus Regni insertum est.

Tandem Imperatores Maximilianum, Rudolphum, Matthiam & Ferdinandum II. iure hæreditariæ succes- sionis, ad regnum peruenisse manifestum est, ex comitiis Regni publice impressis.

Ex hac itaque deductione, quæ priuilegiis, comitiis & aliis documentis publicis ad oculos demonstrari po- test, satis liquet, Bohemos possessionem liberæ electionis per spatium sex ætatum non continuasse, imo nunquam habuisse. Multa quidem illi contra Reges suos de facto attentarunt, clementia & benignitate eorum abutentes, ita, ut vix vnus & alter ex supra nominatis Regibus moti- strari possit, qui seditiosorum hominum perfidiam, con- iurationes, rebelliones & insolentias expertus non fuis- set, sed talia contra ius & æquitatem facta viribus sub- sistere, & causæ ipsorum patrocinari nequeunt.

Exempla in dicto discursu allegata de electis Regibus aliter se habent, quam ab ipsis citantur.

Nam Carolus IV. wenceslaus, Sigismundus, Ladis- laus, Maximilianus, Rudolphus, Matthias & Ferdinan- dus II. electi non fuerunt, sed iure successionis secun- dum

STATVS. I 019  
dum priuilegia ipsis competente ad regnum peruene-  
runt.

Nec obstat quod Bohemi etiam in talibus aliquando  
verbo electionis vtantur, quia lingua Bohemica, quæuis  
Regis assumptio indifferenter siue iure successionis, siue  
per veram electionem fiat, verbo electionis late & gene-  
raliter sumpto, licet improprie significatur, nec in Iohan-  
ne Lucemburgensi, Alberto, Ladislao & Ferdinando I.  
vera & propria electio fuit, cum per lineam fœmineam  
ad Regnum peruenerint, & propterea iure successionis  
electionem adiungere voluerint, vt non nomine vxorum,  
sed suo gubernare & regere possent. Ea autem, quæ circa  
Noributum Ducis Lithuanix filium, & Georgium Po-  
diebratium facta sunt, tanquam non de iure, sed de facto  
attentata, & priuilegiis Regni manifeste repugnantia,  
merito in consequentiam sicut & rebelliones Bohemo-  
rum trahi non possunt. Quod adiicitur in illo discursu  
electiones Regum Bohemix esse conditionatas super ob-  
seruantia priuilegiorum, iam autem deductum est suffi-  
cienter, nec puram nec conditionatam electionem stati-  
bus competere, nisi in casu, quo stirps regia tota defice-  
ret. Promittunt quidem Reges Bohemix iuramento sta-  
tibus priuilegiorum obseruationes, et si non obseruarent,  
male facerent, non tamen propterea priuarentur Regno,  
quia talis pœna, nec conuentione, nec legibus, nec priui-  
legiis, nec comitiis cauta est, & similia requirunt altio-  
rem indaginem, nec est in potestate subditorum super  
non obseruantia priuilegiorum iudicare, alias enim quo-  
tidianarum rebellionum paratum fomitem haberent,  
imo æquitati dissonum est, vt quis sit accusator, testis, &  
iudex simul, eoque magis subditus Regis & Domini sui,  
quod in tali casu fieret.

B

Hoc

Hoc quoque in prætato discursu falso asseritur, quod Rex wenceslaus à Bohemis fuerit depositus, & alius in eius locum substitutus, imo Rex Bohemiæ usque ad mortem permansit. Similiter repugnat veritati, quod adiicitur Georgium Podiebratium non fuisse admissum in Regem: Illum enim Bohemi usque ad mortem pati debuerunt, & si non admisissent, non propterea liberam electionem se habere per hoc probarent, cum is ex stirpe regia, cui successio deberetur, minime fuerit.

Acta anni 1608. & 1611. circa assumptionem Regis Matthiæ, licet inter armorum strepitus non ita accurate ordo debitus obseruatus fuerit, tamen prætensioni statuum de libera electione non suffragantur. Ad ea quæ de pactis inter domum Austriacam, & ordinem Regni Bohemiæ factis in dicto discursu in medium adducuntur, facile posset responderi, sed qui dicta pacta & conuentiones allegant, vel non viderunt, vel non intellexerunt ea, quia non sunt in terminis, in quibus nunc versamur, nempe ubi ex stirpe regia tot insignes Principes superstites existunt, sed disponunt tantum in casu, si linea Regum Bohemiæ omnino deficiat, ac proinde nunc ad hæc respondere superfluum est.

Quod autem aliquæ confœderationes inter Bohemos & Prouincias incorporatas factæ sint, si de antiquis hoc intelligatur, plane nihil iuri successionis Regum Bohemiæ derogant, nec quicquam contra Reges concludunt. Si de confœderationibus huius anni, durante hac rebellionem & tumultu, confictis intelligi id velint, hæc absque Rege & domo Austriaca factæ illorum antiquissimo iuri præiudicare non possunt.

Allegatur in dicto discursu Bohemos non esse subiectos Imperio, sed auream Bullam fundamentalem Imperii

rii constitutionem expresse disponere de iure statum Bohemiam in electione Regis.

Pro faciliiori intellectu videat' aurea Bulla, quia ex hac manifestum est Regnum Bohemiam esse feudum Imperii, super quod Reges inuestituram, ab Imperatore accipiunt: Et quod dicitur de Rege Matthia, Ferdinando & domo Austriaca eos non curasse eiusmodi inuestituras, dissonum est veritati. Rex enim Ferdinandus I. accepit feudum Augustam ab Imperatore Carolo V. Rex Matthias per quatuor ex supremis Officialibus bis petiit inuestituram ab Imperatore Rudolpho: Et Rex Ferdinandus quoque ab Imperatore Matthia I. indultum, postmodum etiam inuestituram super Regno Bohemiam accepit, & sunt præ manibus originalia.

Verum quidem est, Bohemos Imperio subiectos non esse immediate: Sunt enim subditi Regis Bohemiam, qui Imperatori subiectus est, & cui ab Imperatore totum Regnum Bohemiam cum iure & voce Electoratus Archipincernatu, & aliis Marchionatibus & Principatibus in feudum conceditur: Facile etiam videre est in dicto articulo auream Bullam, non dari Bohemis liberam electionem absolute, sed in casu tantum in priuilegiis expresse, imo dicta aurea Bulla art. 25. expresse disponit de successione Regis Bohemiam & aliorum Electorum Imperii.

Quod autem Reges Bohemiam ad comitia imperialia ab aliquo tempore vocari non consueuerunt, causa est, quod à multis annis Reges Bohemiam Romani Imperatores quoque fuerint, & quod non teneantur per priuilegium speciale, quod habent, comparere, nisi comitia habeantur Norinbergam, Bambergam & Mersburgi. Sed si velent, venire possunt, æquæ enim sunt in omnibus Electores vt alii.

**12**      **INFORMATIO FVNDAMENTALIS.**

rium, absoluti ab hoc speciali priuilegio, quemadmodum etiam Archiduces Austriae, & multi Principes feudatarii Imperii non tenentur contribuere in Imperium, sed pro se à subditis suis contributiones petere & accipere solent, & per hoc non probatur absolutos eos esse à subiectione Imperii.

Oïa itaq; p hoc primo articulo Electionis libere in dicto discursu allegata & adducta, vel sunt falsa vel falso interpretata, vnde non est mirum, quod ex his falsa quoque sequatur conclusio.

Nunc ponderentur rationes, quibus moti Bohemi Regem Ferdinandum recusare præsumunt, vel potius vt in sæpius allegato discursu dicitur, ob quas ipse Rex Regno se priuarit, & tacite status à iuramento ipsi præstito absoluerit.

Primum ergo adducunt causam, quod serenissimus Rex promissis conditionibus in reuersalibus expressis, ne videlicet Imperatore Matthia superstite negotiis Bohemicis se immisceat, non steterit, sed consiliis contra eos habitis interfuerit, eaque direxerit.

Ad hoc respondetur: Reuersales à serenissimo Rege datas, tantum disponere, quod regimen & actuale Regni dominium & gubernationem viuente Imperatore absque eius consensu & consilio deputatorum in comitiis vsurpare non debeat, quod etiam à serenissimo Rege factum non est, neque enim Imperator Matthias vnquam sese abdicauit Regno cum omnium negotiorum resolutiones penes ipsum vsque ad mortem fuerint: neque viuente ipso Rex Ferdinandus vnquam Regni gubernacula vsurpauit, aut ad possessionem actualis regiminis accessit, nec quicquam in negotiis regni, siue publicis, siue priuatis tanquam Rex disposuit, sed vt filius obediens  
tantum

tantum mandata Imperatoris, Patris ac Domini sui executus est.

Vt autem serenissimus ad requisitionem Imperatoris consiliis de rebus Bohemicis interesse aut præesse non possit, nec Reuersales hoc disponant, nec æquitati conuenit, Regem coronatum deterioris esse conditionis, quam fuerint Cardinalis Gleselius, & Dominus Trautsonius, qui tamen per hoc, quod secretioribus consiliis præfuerant, Regni regimen in se non receperunt.

Vbi ergo Imperatori Matthiæ sententiam Regis in arduis siue regni Bohemiæ, siue aliorum quorundamque regnorum negotiis requirere prohibitum? Aut Regi ad interrogata obmutescendi necessitas imposita? Licet, sed & necessitatis lege iubetur cui libet subdito quacunque de re ad mandatum Regis vel Domini sui sententiam dicere arbitrio dispositionis Regi aut Principi relicto, & hoc Regi Ferdinando non licuit?

2. Quod Cardinalem Gleselium arrestatum & in custodiam abductum queruntur, vt scilicet probent serenissimum Regem Ferdinandum contra fidem datam negotiis se regni immiscuisse ad ipsos non pertinet.

Quid enim regno Bohemiæ cum Cardinali Gleselio? Gleselius certe Bohemus non erat, nec vllum siue publicum, siue priuatum regni Bohemiæ officium administrabat.

Verum autor discursus affingit abductum Gleselium in custodiam, eo quod iudicauerit mansuete, & cum clementiæ temperamento in Bohemos procedendum. Sed vnde iste amor in Gleselium, cum sæpissime de ipso tanquam authore horum tumultuum conquesti sint? Et vnde sciunt tam pacifica eius consilia? Aliæ profecto causæ subsunt, quas nunc vulgaris nulla vrget necessitas.

Dicitur serenissimum Regem per societate IESU patres quicquam regni Bohemiæ statum confusionibus miscuisse, sed calumnia hæc caret fundamento, & mirum est, quod ii ipsi, qui Rege Ferdinando in comitiis Hungaricis existente locum tenentes suæ Maiestatis, per fenestras præcipitarunt, coniurationes inter se fecerunt, Reipubl. formam mutarunt, milites conduxerunt, & per hoc totum regnum turbarunt, audeant regem absentem nullis se negotiis Bohemicis immiscentem accusareurbationis regni.

4. Inde noua cōmentitio subiungitur, extraneis summam rerum & regimen commissum: sed & illud nulla probatione verificari potest.

Post mortem enim Imperatoris Matthiæ, Ferdinandus rex locum tenentes Bohemiæ, quibus summa rerum & regni administratio in absentia suæ Maiestatis incumbit, non extraneos instituit, sed ex statu Baronum & equestri Ordine regni Bohemiæ ab Imperatore Matthia institutos vsque ad vltiorem resolutionem confirmauit, quos illi calumniati sunt, & administratione rerum prohibuerunt.

5. Quinta demum profertur causa, serenissimum regem Ferdinandum statuum confæderationes in defensione priuilegiorum fundatas disturbasse. Quod etiam in calumniam suæ Maiestatis confictum est. Cum enim Bohemi nunquam suam Maiestatem Imperatorem Ferdinandum requisierint, vt confæderationem cum vicinis prouinciis annueret, quomodo negasse id eum aut disturbasse probabitur? Quanquam sciendum est, Bohemos, vt subditos nullas confæderationes cum aliis prouinciis absque rege facere posse.

6. Quæ pro sexta causa adducuntur in opprobrium suæ



suæ Maiestatis mere conficta sunt, nunquam enim probabitur, quoniam ex Bohemis aut incorporatis prouinciis à sua Maiestate ad frequentandum sacræ Missæ sacrificium coactum: multo minus alteram Sacramenti Eucharistiæ speciem reluctantibus per vim ore reserato ingestam esse. Sed talia sparguntur pro ignaris rerum. Illis enim qui religiosissimum Imperatorem norunt, non facile persuadebitur, eum tam indigne & scelestè sanctissimum Sacramentum, cuius deuotissimus est, tractasse.

7. Subiungitur septimo templa religionis eorum à serenissimo Rege destructa & subuersa fuisse. Sed quæso, quando & ubi? Nam nec ante sua Maiestas imperauit, aut sub suo regimine in Bohemia factum est.

8. Similiter quæcunque dicitur pro octaua causa, meræ sunt fabulæ & somnia. Nam nulli sunt in regno Bohemiæ gubernatores: nullas collaturas rex Ferdinandus Archiepiscopo Pragensi dedit; nulla statuum priuilegia Episcopo subiecit: Et bene subdit autor discursus, id factum esse per media, quæ valde operosum esset recensere. Profecto enim non operosum modo, sed impossibile illi esset cum veritate id facere, cum non entis nullæ sint qualitates.

9. Nona causa, serenissimum regem per vim & violentiam copiis sine consensu statuum immixtis regnum ingressum arguit. Sed quæso, nonne Directores Bohemiæ mutata forma regiminis priores arma sumpserunt? Externum militem sine consensu regis in regnum induxerunt? Imperator autem Matthias tum demum pro sua suorumque conseruatione militem colligere cœpit, cum iam ipsi suum lustrassent. Qua vero clementia & amore cum rebellibus Bohemis post mortem suæ Maiestatis rex Ferdinandus egerit armorum suspensionem, & interpositionem

nem

16      I N F O R M A T I O   F U N D A M E N T A L I S  
nem Electorum, & Principum sacri Romani Imperii obtulerit, confirmationem priuilegiorum transmiserit, ad mittendum adhuc aliquos, cum quibus de pacificatione horum tumultuum tractari & consultari posset, benigne inuitauerit, demonstrant hoc literæ sacræ Maiestatis ad ipsos datæ, & antea iam typis vulgatæ: Bohemi è contrario ne responso quidè sanctam Maiestatem dignati sunt, sed interea Morauiam & alias Prouincias ad rebellionis consortium sollicitarunt, exercitum in Austriam transmiserunt, plurima loca præsiidiis occuparunt, & Danubio transmissis in suburbiis Viennensibus in conspectu sacræ Maiestatis metati, nihil hostilitatis prætermiserunt, tandem fama aduenientis regii exercitus impulsus, in Bohemiam redierunt.

Quis itaque miretur pacis amantissimum regem frustra prius omnibus mollioribus tentatis remediis, tandem cum clemètia nihil proficeret, copiis prioribus, quæ à morte sacræ Cæsareæ Maiestatis Buduitii, & vicinis locis substiterant, vires alias iam antea à sacra Cæsarea Maiestate procuratas & præparatas iunxisse: nec enim solum clementia, sed & iustitia thronum regis condecorat, quàmquam ne tunc quidem iustissime indignans misericordiæ oblitus est. Patentes enim Generali suo in exercitu locum tenenti dedit, quibus cauit, ne ad obedientiam redeuntes hostili vi vel impetu turbentur, sed in gratiam indulgentia omnium præteritorum præstita suscipiantur.

Quod subiungitur, leges Bohemiæ disponere quemlibet (nullo personarum discrimine, siue sit rex siue alius) regnum cum exercitu ingredientem ipso facto priuari omni dignitate, & velut hostem patriæ habendum, id uti fingitur, in constitutionibus & legibus regni, non habetur.

10. Decima adfertur causa, electionem serenissimi regis Ferdinandi ab aliquibus tantum seditiosis promotam & conclusam, qui Prouincias incorporatas Morauiam, Silesiam, superiorem & inferiorem Lusatiam, ne vota in sereniss. regis electionē conferrent citari, quibus poterāt artibus impedierint. Nec admissos alios, nisi paucos religionis Catholicæ, quos Papistas dicit, quorum arbitrio res omnis agebatur, priuatis ex altera parte officiis protestantibus principalioribus, inter quos Comes à Thurri ab officio Burggrauatus Carlsteinensis: ubi regia seruari corona consuevit, deiectus est.

Pro meliori hac in re informatione sciendum est, indicta fuisse ab Imperatore Matthia pro assumendo rege Ferdinando comitia publica omnibus statibus, qui ubi ad præstitutam diem in maxima frequentia tam Catholici, quam non Catholici Pragam conuenerunt. Proposuitio, ut moris, sequenti post, conuentum die, eis facta; tertia, è consensu vnanimi omnium statuum Rex Ferdinandus in regem receptus est. Ii quoque, qui nunc Directores & Generales appellantur, tum temporis præsentis aderant, vota sua & acclamationes regi Ferdinando cōtulerant, & lecta conclusione comitiorum, cum ex recepta consuetudine omnes & singuli nominatim interrogarentur conclusioni se huic subscribere fassi sunt, & ut planius fiat, non paucos tantum Papistas aut seditiosos Ferdinandum in regem assumisse; Videantur nomina actis publicis & tabulis regni inscripta, & apparebit longe plures non Catholicos, quam Catholicos conclusioni comitiorum subscripsisse. In actu quoque coronationis denuo omnes status ad hoc specialiter vocati, & à supremo Burggrauio interrogati, an fidelitatem, obedientiam & subiectionem regi Ferdinando promittant, & an ve-

18      **INFORMATIO FVNDAMENTALIS**

linit vt in Regem coronetur? Responderunt, se velle vt coronetur: ipsum quoque iuramento imponendo manus in coronam, confirmarunt, & reliquas omnes solemnitates in talibus obseruari solitas perfecerunt. Insuper durantibus iam hisce tumultibus ad suam Maiestatem Directores (vt vocari volunt) & ipsos quoque status congregatos in conuentu Pragensi pluries scripsisse Regis Bohemiæ titulo, vt conueniebat, eum honorasse, & vt pro ipsis apud Imperatoriam Maiestatem intercederet, rogasse, literæ eorum in originali extantes, testantur.

Male etiam obiicitur, non fuisse vocatas ad comitia Prouincias incorporatas, quia nunquam antea vocari consueuerunt, sed describuntur Prouinciis incorporatis vnicuique sua particularia comitia & Morauia recipiunt Regem pro Marchione Morauia, Silesii pro supremo duce, & Lusatia pro Marchione Lusatia: Ita obseruatum fuisse in assumptione pro Regibus Bohemiæ Imperatorum Maximiliani, Rudolphi, Matthiæ, acta & monumenta publica docent, & non extat exemplum in contrarium.

Vero quoque repugnat suam Maiestatem tempore comitiorum priuasse officiis publicis principaliores ex statibus non Catholicis, & vbi pro exemplo adducitur Comes de Turri.

Notandum est hoc dudum post coronationem absente sua Maiestate Regia ab Imperatore Matthia factum. Et quidem non fuit priuatus officio, sed ad maius officium promotus, quod & Prædecessori suo Domino Slavvatae eodem modo contigit, quod ex Burggrauiio Carlsteinensi factus sit supremus iudex curiæ.

II Ex superiori etiam deductione manifestum est falsum esse, receptionem Regis Ferdinandi in tantum dilatam fuisse, vt maior pars protestantium putans nihil amplius

plius actum iri, recesserit. Nam tota comitia illa triduo absoluta sunt. Quod adiicitur minis futuri belli Bohemos ad receptionem Regis fuisse adactos, & status membrorum coronæ in contrarium protestatos fuisse: hoc similiter ut præmissa à veritate alienissimum est, testantur enim comitia Bohemica & omnium incorporatarum Prouinciarum publice typis excusa, Regem citra omnem difficultatem & protestationem, abque vllis minis, magno cum applausu receptum esse.

12 Pacta sacræ Maiestatis cum Serenissimo Rege Hispaniæ, quæ autor dicursus criminatur, non præiudicant statibus regni Bohemiæ, cum non sint super successione noua inducenda, sed tantum inter ipsos Reges super iure hæreditatis, quod cui libet eorum competere possit.

13 De crudelitate barbarica & feritate militum, vbi conquiritur, facile credi potest, tam regios quam rebellium milites multa animaduersione grauissima digna perpetrasse: Sed quod Rex Serenissimus talia mandauerit, à vero alienissimum est, & malitiose euulgatur per literas interceptas illud probari posse, nam qui, aut in facinore aliquo depræhensi sunt, aut simile quod contra ipsos probatum fuit, atroci supplicio pœnas luerunt.

14 Adducitur deinceps dictorum statuum protestatio, eos fuisse à propriis conscientis incitados & compulsos ad liberandum Regnum à tyrannide. Sed communis est iam formula omnium rebellium, quam sollemnissime protestari, vbi in iure deficiunt, ad conscientias confugere necessitate inuitabili ad id impulsos se allegare, speciosa nomina liberationis à tyrannide prætendere, cum tamen nihil horum in re sit: Nunquam enim maior tyrannis & oppressio in Regno fuit, quam sub eorū Directoratu: absque iure & processu innocentes dominiis priuant, scrinia

& terræ cauernas in arcibus disquirunt, pecuniam accipiunt, ad militiã inuitos cogunt, contributiones onerosissimas extorquent, taceo de aliis grauaminibus, quorum particularia exempla plurima in medium adferri poterunt & singuli totius Regni contra eos dicent.

Aiunt præterea videntes vim inferri conscientis ipsorum, quod velint vitã & bona pro defensione impendere. Vana sane & nullo pacto laudanda impensa, profundere vitam & bona contra Regem & Dominum suum ob causam nõquam probatam, imo manifeste veritati contrarium.

Nulla vnquam enim dispositio Regis Ferdinandi in negotio religionis, aut alio quopiam reperietur, quæ conscientis statuum Regni Bohemiæ vim intulerit.

15 Pergit autor dicti discursus enumerare plurimas in serenissimum Regem confictas calumnias, & dicit processum esse contra statuum priuilegia & literas Imperatoris Matthiæ, & contra alias promissiones solenniter iuratas & nunquam seruatas, Regi Ferdinando nec ante, nec post electionem, viuentis Imperatore & Rege Matthia cum statibus regni quicquam negotii fuit.

Postquam autem Imperator in viuis esse desiit, qualiter in negotio Bohemico Serenissimus Rex processerit & confirmationem omniũ priuilegiorum de verbo ad verbum, prout Imperator Matthias eis miserit, supra est dictũ & pridem in publice typis mandatum.

Quid quæso ibi contra priuilegia quod contra literas Imperatoris Matthiæ aut promissiones iuratas? quid horum vnquam apud Regem status questi sunt:

Nunc tamen pro re manifeste talia ponuntur, & quidẽ iustissimum Regem non seruati iuramenti arguunt? nonne ii, qui tribus Imperatoribus violato iuramento fidelitatis rebellarunt, profecto mirabitur & obstupescet legens aliquando talia posteritas.

Subiungit calumniator ille Regem Ferdinandum regi à turbulentis spiritibus Iesuitarum, à ministris Romanis & Hispanis plenis superbia, inuidia & crudelitate.

Diuersum sane loquebantur status, cum pro Rege eum reciperent in responso ad propositionem dato, ubi tot virtutes & varias in illo dotes cum veritate deprædicabant, nunc mutata fide mirum non est, quod verba mutant, vt etiam manifeste falsa in Regis inuidiam spargere præsumant.

Nemini ex patribus societatis sua Maiestas vllas regiminis partes commisit, nec eorum consiliis, exceptis casibus suæ propriæ conscientiæ, vti solet; ministri Romani & Hispani nullis consultationibus interueniunt, nihil ab his turbulentum, nihil crudele factum aut suatum est, imo Hispanorum Rex spe compositionis, exigua, per integrum annum auxilia subministrauit, nihil magis quam conseruationem domus Austriacæ & Prouinciarum pacem exoptans.

17 Asseritur præterea spem nullam fuisse certæ & cōstantis pacis cū Rex Ferdinandus diuersorum Principum ab legatos super hoc proposito, ne audire quidem sustinuerit, nemo ab legatorum non satis auditum se cum veritate asseuerare poterit, & serenissimum Regem pacis cupidissimum fuisse semper testabuntur sacri Romani Imperii Electores & Principes, ad continuationē interpositionis in negotio Bohemico, mox post mortem Imperatoris Matthiasæ requisiti, dicet totum Collegium Electorum, cuius arbitrio Serenissimus Francofurti totum hoc remisit, mora semper ex parte Bohemorum fuit, qui dictam interpositionem variis tergiversationibus eluserunt, & oblatam armorum suspensionem acceptare noluerunt, vt exactis publicis clarissime patet.

Tandem post tot rationes conclusionem suam subiiciunt, quod ex his & aliis ineuitabilibus necessitatibus cōpuli fuissent, renunciare Regi Ferdinando & præferre securitatem Regni & bonum commune omnibus reliquis rebus, cum hæc sit lex principalis & suprema generaliter ab omnibus recepta. Quæ conclusio refutatis rationibus, quibus innititur, facile per se corrui, nulla enim eos necessitas ad tale facinus compulit, nulla hinc Regno securitas sperari potest, tumultibus omnia & seditionibus inuolui necessum est, loco prætensi communis boni oppressiones innocentum & publicas calamitates patriæ, quas bellum secum fert, merito veremur, & quod de principali illa lege fingitur huic proposito minime conuenit.

Quod autem attinet ad media, quibus scelus illud nefarium defectionis à Rege & Domino suo coronato, defensores se putant, omnia Deo volente, cōtra ipsos erunt.

Nam primo Deus Opt. Max. à quo omnis legitima potestas est, non deseret serenissimum Ferdinandum in regem Bohemiæ tanquam ex sanguine regio ortum nepotem Ferdinandi I. consentiente tota domo Austriaca ab vniuersis statibus, & ordinibus in comitiis publicis legitime acceptatum & coronatum: Similiter quoque ab incorporatis Prouincijs pro domino eorum susceptum, ab Imperatore Matthia inuestitum, ab omnibus Regibus & Principibus Christianis pro tali honoratum, sicut & Francofurti à sacri Imperii Electoribus contradicentibus Bohemis, pro vero & legitimo Rege Bohemiæ & Electore agnitum, in claro ad electionem admissum, & tandem in Regem Romanorum & Imperatorem singulari prouidentia diuina, vnanimi consensu electum & euectū, opitulabitur iustissimæ causæ eiusdem, exaudiet tandem gemitus, lacrymas & suspiria tot innocentum, nec relinquet impu-



impunitas tantas rapinas & oppressiones Ecclesiasticorum, & secularium, viduarum, & orphanorum, quorum rebelles illi causa sunt.

Secundo, sacri Romani Imperii Electores, iuxta tenorem aureæ Bullæ Caroli IV. imo omnes Imperii Principes germanicę fidelitatis, quibus ius & honestas cordi est, adiuuabunt Imperatorem suum in conseruatione regni, quo à propriis subditis iniuste spoliatur.

Tertio, omnes extranei Reges exemplum metuentes, ne sibi tale quid à subditis propriis contingat, eos tanquam rebelles & proditores Domini sui auersabuntur, vniuersa domus Austriaca cum Principibus sanguine iūctis non deferent causam suam, nec patiētur, vt sibi regna & Prouinciæ iure successionis debitæ eripiantur.

Etsi quas confœderationes Bohemi cum aliis ad domum Austriacam pertinentibus Prouinciis, sicut & cum aliis Principibus & statibus fecerint, hæ nullo iure subsistunt, & breui temporis spatio tanquam de facto initæ dissoluentur.

Vltimo subiungunt, quod hæc omnia fiant & pro defensione Catholicorum, qui viuunt quiete & pacifice inter ipsos in exercitio religionis.

Sed videamus, quomodo facta verbis concordent: In summos Prælatos Ecclesiæ manus iniecerunt, eosque tam bonis paternis, quam Ecclesiasticis sine iure & sine causa spoliarunt: Abbates, Canonicos expulerunt, proscripserunt, captiuarunt, bonis multarunt: Monasteria vendiderunt, oppignorarunt, donarunt, spoliarunt, templorum clenodia, priuilegia, libros diripuerunt, Metropolitanam Ecclesiam Pragensem occuparunt, altaria euerterunt, sacerdotes quosdam occiderunt, alios nudos eiecerunt, & iis qui adhuc reliqui in regno sunt, vix relinqui-

linquitur, quod in necessitates quotidianas sufficiat, Cathedralē Ecclesiam Olomucensem inuaserunt, & omni sacro thesauro direpto, Canonicos ergastulo iunctos & clausos custodiunt. Brunæ quoque Prælatos vna cum Monachis etiamnum carcere claudunt: & quem Catholicorum tandem illi non persequuntur? non calumniantur? Et tamen dum hæc agunt, & millies in aliis locis repetunt, Catholicos se defendere, & eos libero exercitio religionis frui, asserunt. Ex his omnibus facile æquissimus Lector iudicabit, causam statuum regni Bohemiæ non esse iustam, nec eos potestatem deponendi Regem, & eligendi in eius locum alterum habere. Nullum esse fundamentum repudiandi Regem Ferdinandum, & rationes eorum nihil solidi, nihil veri continere, & tandem **nec media tantum scelus defendendi esse**  
sufficiētia.

¶: (¶)

¶

DE ELE

DE ELECTIONE ET  
SUCCESSIONE REGVM BO-  
HEMIÆ, CAROLI IV. ROMA-  
norum Regis,

## AUREA BULLA.



**C**AROLVS Dei gratia Romanorum Rex,  
semper Augustus, & Bohemiæ Rex, ad  
perpetuam rei memoriam, innata cordi  
nostro benignitas circa fidelium & deuo-  
torum nostrorum honores & commoda,  
continuis intenta vigiliis, votis ipsorum  
annuere iugiter nos inducit, quotiens poscentium vox  
est iusta; in hoc enim liberalitatis nostræ non errat inten-  
tio, sed regalis sceptri fastigium extollere salubriter arbi-  
tratur. Sane ad nostræ Celsitudinis venerabiles, Archi-  
episcopus Pragensis, Olomucensis, Vratislauiensis & Li-  
tonischlensis Episcopi: nec non illustres Ioannes Carin-  
thiæ, Comesque Tyrolis & Goritiæ, Germanus noster  
charissimus, ac Nicolaus Opaviæ & Ratiboriæ Duces,  
cæterique Prælati, Duces, Principes, Barones, Proceres  
& Nobiles regni nostri Bohemiæ, & pertinentes eiusdem  
præsentiam accedentes, nobis humiliter supplicarunt, vt  
quasdam literas Friderici diui Romanorum Imperatoris  
electi, Prædecessoris nostri Bohemiæ, nobis per ipsos ex-  
hibitas, quorum tenor & series sequitur in hæc verba.

**F**RIDERICVS diuina fauente clementia Romano-  
rum Imperator electus, & semper Augustus, Rex Sici-  
liæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, cum decor  
& potestas Imperii nostrum præcesserit statum, vt non

D solum

26      I N F O R M A T I O   F U N D A M E N T A L I S  
solum cæterorum Principum dignitates, verum etiam  
sceptræ regalia à nostra conferantur Maiestate, glorio-  
sum reputamus & magnificum, quod in tanto nostræ lar-  
gitatis beneficio, & aliis crescit regiæ dignitatis augmen-  
tum, nec ob hoc eminentia nostra aliquod patitur detri-  
mentum.

Inde est, quod nos attendentes præclara deuotionis  
obsequia, quæ vniuersa Bohemiæ gens ab antiquo tem-  
pore Romano exhibuit Imperio, tam fideliter, quam de-  
uote, & quod illustris Rex eorum Ottacharus à primo  
inter alios Principes specialiter præ cæteris in Imperato-  
rem nos elegit, & nostræ electionis perseuerantiæ dili-  
genter & vtiliter astitit, sicut dilectus patruus noster, piæ  
memoriæ Rex Philippus, omnium Principum habito cõ-  
silio per suum priuilegium instituit ipsum Regem, consti-  
tuimus & confirmamus, & tam sanctam & dignam Con-  
stitutionem approbamus, regnumque Bohemiæ liberali-  
ter, & absque omni pecuniæ exactiõne, & consueta curiæ  
nostræ iustitia, sibi, suisque successoribus in perpetuum  
concedimus, volentes, vt quicumque ab ipsis in Regem  
electus fuerit, ad nos vel successores nostros accedat, re-  
galia debito modo recepturus. Omnes etiam terminos,  
qui prædicto regno attinere videntur, quocunque modo  
alienati sint, ei & successoribus suis possidendos indulge-  
mus. Ius quoque & auctoritatem inuestiendi Episcopos  
regni sui, integraliter sibi & hæredibus suis concedimus:  
Ita tamen, quod ipsi ea gaudeant libertate & securitate,  
quam à nostris Prædecessoribus habere consueuerunt.  
De nostræ autem liberalitatis munificentia statuimus,  
quod illustris Rex prædictus, vel hæredes sui, ad nullam  
curiam nostram venire teneantur, nisi quam nos apud  
Bamberg & Nürnberg celebrādū indixerimus, vel si apud  
Mer-

Merseburg curiam decreuerimus, ipsi sic venire teneantur. Quod si Dux Poloniae vocatus accesserit, ipsi sibi Ducatum præstare debeant, sicut antecessores sui, quondam Bohemiæ Reges, consuevere, si tamen ut spatium sex hebdomadarum veniendi ad dictas curias eis ante præfigatur, salui tamen quod si nos vel successores nostros Romæ coronari contigerit, ipsius prædicti Regis Ottachari vel successorum suorum reliquimus arbitrio, utrum ipsi trecetos armatos nobis transmittant, vel trecentas marchas persoluant. Ad huius autem Constitutionis & confirmationis nostræ memoriam & robur perpetuo valiturum, præsens priuilegium per manus Henrici de Parisiis Notarii, & fidelis nostri scribæ, & Bulla nostra aurea iussimus communiri, anno, mense & indictione subscriptis. Huius rei testes sunt isti, Archiepiscopus Bambergensis, Episcopus Tridentinensis, Episcopus Basiliensis, Episcopus Constantiensis, Episcopus Curienensis, Abbas Augensis, Abbas S. Galli, Abbas de Witteberg, Bartholdus de Nisphe, regalis curiæ Prothonotarius, Comes Ulricus de Chiburg, Comes Rudolphus de Hab: & Esburg, & Landtgravius de Alsatia, Comites Ludouicus & Hermannus de Froburg, Comes Wratierus de Hoenburg, Arnoldus Nobilis de wand, Rudolphus Aduocatus de Raprechtesurilare, Rudolphus de Ramensburg, Albertus de Tranchuse, Cameraribus, & alii quam plures Magnates & Nobiles & liberi, quorum testimonio hoc priuilegium constat esse confirmatum: Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis ducentesimo duodecimo, mensis Septembris, quintædecimæ Indictionis, regni vero Domini nostri Friderici illustrissimi Romanorum Imperatoris electi, & semper Augusti, Regis Siciliae quintodecimo. Datum in nobili ciuitate Basiliensi, per manus

D 2

Ulrici

Vlrici Prothonotarii, sexto Calendarum Octobr. feliciter, Amen.

Nostra confirmare authoritate regia dignaremur. Nos itaque præfatorum Dominorum, Principum, Baronum, Procerum & Nobilium, quos honor & felicitas status Romani regni, & sacri Romani Imperii fideles, & sollicitos præ cæteris nouimus relatores, ipsumque regnum Bohemiam Romani regni membrum fore nobilius supplicationibus benignius inclinati, præfatas literas ac omnia & singula contenta in eisdem laudamus, ratificamus, approbamus, confirmamus, & de nouo ex certa scientia de nostræ Romanæ regis plenitudine potestatis, præfatis regni Prælati, Ducibus, Principibus, Baronibus, Proceribus, & Nobilibus, ac vniuersitati regni ipsius, & pertinentiarum eiusdem ad vsum & opus regnum Bohemiam in perpetuum damus, tenore præsentium conferimus & donamus, omnem diminutionem & defectum, si quis in præmissis fuerit de vberiori dono Maiestatis Romanæ regis, & plenitudine potestatis reparantes omnimode & suppletes, veruntamen si circa contenta in factis literis calumniari, aut interpretari sinistre, seu in sensum reprobum declarare, imo verius obscurare forsitan niterentur, ad tollendum de medio omne dubium vel obscurum, quibus dictarum series aspergitur literarum, vt regni Bohemiam præfati ipsiusque incolarum status in sincera Imperii dilectione perseueret concordia, & vnitatem in vinculo pacis seruet, & incolæ dicti regni in his, quæ diffidentiam materia esse possent temporibus pro futuris & animarum ac corporum inde nascituris periculis, rerumque dispendiis prouenturis solerti præuentione antequam ordiantur, tam prudenter, quam salubriter præcisis, tanquam mansueti terram hæreditent, & in pacis multitudine de-

ne delectentur, Electionem Regis Bohemiæ duntaxat in casu, & euentu, quibus de Genealogia, progenie vel femine, aut profapia regali Bohemiæ masculus vel fæmella superstes legitimus (quod Deus auertat) nullus fuerit oriundus, vel per quemcunque alium modum vacare contigerit, dictum regnum ad Prælatos, Duces, Principes, Barones, Nobiles & Communitatem regni præfati & pertinentiarum eiusdem, habita cum nonnullis, Regis Romani futuri Imperatoris Electoribus ac aliis Principibus, qui tunc temporis nostræ Celsitudinis præsentia assidebant, deliberatione, natura ipsorumque sane digesti consilio volumus, decernimus, pronuntiamus, interpretamur, & præsentis scripti patrocinio declaramus, rite, iuste & legitime in perpetuum pertinere, ipsiusque Regis Bohemiæ electionem in casu, & euentu prædictis & non aliis præfatis Prælatibus, Ducibus, Principibus, Baronibus, Nobilibus, &c. Communitati dicti regni, & pertinentiarum eiusdem de nostra regia Romanæ plenitudine potestatis, ac ex certa scientia damus, concedimus, conferimus & donamus, dictamque electionem meliori, salubriori, & saniori, quo potest modo fieri, confirmamus & transferimus in eosdem, volentes etiam, vt quicumque in Regem Bohemiæ electus fuerit, ad nos & successores nostros Romanorum Reges & Imperatores accedat, sua à nobis & successoribus nostris, modo debito & solito Regalia recepturus.

Non obstantibus legibus, consuetudinibus, vsibus, obseruantis, iuribus, municipibus vel communibus statutis seu edictis factis & editis in contrarium quibuscunque, quas & quæ, quantum adhæc, ac si forent nominatim ac de verbo ad verbū scripta præsentibus. & inserta reuocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & de dicta Romanæ Regiæ pleni-

30      I N F O R M A T I O F U N D A M E N T A L I S  
tudine potestatis decernimus firmitatis fore nullius pe-  
nitus momenti. Insuper ad vniuersorum & singulorum  
cupimus notitiam peruenire, quod prædictæ literæ Bulla  
Aureatypatio Maiestatis præfati Friderici Romanorum  
Imperatoris electi impressa, quam ipse Rex Siciliae, Duca-  
tus Apuliae & principatus Capuae ante coronationis Re-  
gni Romani solennia utebatur, prout nobis constat, & su-  
mus plenarie informati, & sicuti gloriosæ memoriæ Hein-  
ricus Auus noster quondam Romanorum Imperator, si-  
gillo Comitatus Lucenbergensis & cæteri diui Romano-  
rum electi prædecessoris nostri suorum titulorum, Nosq;  
& Marchionatus Morauiae sigillo ante ipsorum & nostræ  
coronationis solennitatem, vti fuimus, in cuius Bullæ au-  
reæ circumferentia à parte Maiestatis scripta sunt verba i-  
sta, Fridericus Dei gratia Siciliae Rex, Ducatus Apuliae &  
Principatus Capuae, & ab alia parte vbi est impressio eius-  
dem castri: Christus vincit, Christus regnat, Christus im-  
perat, existunt sanæ & integræ omni carentes vitio com-  
munitæ.

Nulli ergo omnium hominum liceat hanc nostræ lau-  
dationis, ratificationis, approbationis, confirmationis,  
donationis, reparationis, supplementi, interpretationis,  
declarationis, reuocationis, cassationis, irritationis, & an-  
nullationis paginam infringere vel ei ausu temerario in a-  
liquo contraire.

Cōtrarium vero facientes, si qui tuerint (quod absit) vl-  
tra indignationem nostræ Celsitudinis Romanæ, quam  
ob hoc se nouerint grauitè incursum, mille Marchas  
auri puri nostro & Romano Imperio seu Regni fisco com-  
ponat: ipsorum videlicet medietatem nostræ & successo-  
rum nostrorum Romanorum Regum & Imperatorum  
curiæ seu Camerae, & reliquam passis iniuriam irremissibi-  
lites



liter applicandam: In quorum omnium testimonium & ad certitudinem pleniorẽ præsentẽ fieri iussimus, & Bulla aurea Typario nostræ Maiestatis impressu præcepimus communiri. Huius rei testes sunt Gerlacus Archiepiscopus Moguntinensis, sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius. Ludolphus senior Dux Saxonie, sacri Imperii Marshallus. Rudolphus iunior Saxonie & Fridericus de Orlemund, Ulrichus de Helffenstain & Rudolphus de Werdtheim Comites. Petrus de Heroy, Crasto de Hoenloe, Godtfridus de Brunegk, Eberhardus de Walthe, Egloff de Frieberg & Burchardus de Elbeth, Romani Regni præfati Principes & Barones. Datum Pragæ Anno Domini 1348. Indictione prima, septimo idus Aprilis, Regnorum nostrorum secundo.

## DISPOSITIO REGIS WLADISLAI RATIONE

Ducissæ Annæ hæredis suæ  
Maiestatis.



Nos Wladislaus Dei gratia Hungariæ & Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, Marchio Moraviæ, Lucemburgensis & Silesiæ Dux, & Lufatiæ Marchio, &c. notum facimus hisce literis vniuersis; Quandoquidem Dominus Deus ex sua sancta gratia dignatus est nobis hæredes vtriusque sexus masculi & fœminei dare, & ex diuino nutu atque etiam cum voluntate & consilio subditorum nostrorum Prælatorum, Ducum, Baronum &c.

32      I N F O R M A T I O   F U N D A M E N T A L I S  
& omnium statuum Regnorum nostrorum, imprimis ad  
regnum Hungariæ Serenissimum Principem Regem Lu-  
douicum filium nostrum charissimum coronandum de-  
dimus: deinde quoque ex libera voluntate Baronum, E-  
quitum & Ciuitatum Regni Bohemiæ in eodem regno  
coronatus & receptus est in Regem: Et cum vigore iuriũ,  
immunitatum & priuilegiorum Regni Bohemiæ, si suam  
Serenitatem Regem Ludouicum Dominus Deus sine hæ-  
redibus per mortem auocaret, quem Deus custodire di-  
gnetur, tunc filia nostra Ducissa Anna mansura esset vera  
hæres Regni Bohemiæ. Hæc omnia nos attendentes &  
videntes erga nos singulari amore & subiectione subditos  
nostros vtriusque regni affectos & omni promptitudine  
paratos; Volentes illis in hoc, sicuti & rectum æquum &  
dignum iudicauimus prospicere, vt cum hæredibus no-  
stris & futuris Dominis suis de necessitatibus illarum Co-  
ronarũ & Regnorum linguis suis natiuis eo melius & per-  
fectius agere possint. Ordinauimus, & his literis ordinam⁹  
quod hæredes nostri debeant in conuenienti loco educa-  
ri, in quo ad eos liber sit accessus & possibilis Coronæ Hun-  
garicæ & Bohemicæ, & vicissim Coronæ Bohemicæ sicut  
& Hungaricæ. Debemus etiam penes illos & tenemur  
constituimusq; semper parem numerum ex Regno Hun-  
garicæ & ex regno Bohemiæ masculi & fœminei sexus ha-  
bere & seruare, ita, vt vtramq; linguam Hungaricam & Bo-  
hemicam addiscant libere sine omni impedimento, adeo,  
vt vna quæq; Corona sua lingua cū suis Serenitatib. de ne-  
cessitatib. suis sufficienter & prompte tractare & loqui pos-  
sint, in rebus suis & Regnorũ illorum necessariis. Præterea  
pollicemur Regno Bohemiæ, q̄ filiam nostram Ducissam  
Annã despondere nõ debeamus sine consilio & scitu illius  
Regni, si quidem in eodem Regno, vt supra memoratum,  
hæres

hæres est. Et hoc totum, quod in his literis continetur, promissimus verbo nostro Regio, & his nostris literis promittimus Baronibus, Equitibus & omnibus statibus Regni Bohemiæ inuiolabiliter & firmiter integritate seruatuos sine omni transgressione. In huius testimonium sigillum nostrum Regium mandauimus appendi his literis. Datū in Arce Pragensi feria sexta post sanctorum Triū Regum. Anno Domini millesimo quingentesimo decimo, & Regnorum nostrorum Hungarici vigesimo, & Bohemici trigesimo nono.

**MAIESTALES REGIS  
FERDINANDI I. QUALITER  
AD DUCISSAM ANNAM CONIUGEM** sacrae regiae Maiestatis, post obitum Regis Ludouici Regnum Bohemiæ cum suis pertinentiis deuolurum, &c. & quomodo dicta sua Maiestas in Regem Bohemiæ electa fuerit.

**N**os Ferdinandus DEI gratia Romanorum Rex, semper Augustus, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, &c. Infans Hispaniæ, Archidux Austriæ, Marchio Morauia, Lucemburgensis & Silesiæ Dux, & Lusatia Marchio, &c. Notum facimus his literis vniuersis. Postquam ex destinatione & permissione Dei omnipotentis anno 1526. die decollationis S. Iohannis calamitosa res accidit, quod serenissimus Princeps ac Dominus Ludouicus, Hungariæ & Bohemiæ Rex, frater & affinis noster charissimus, pro  
E . . . . . defen-

34      I N F O R M A T I O F V N D A M E N T A L I S  
defensione sanctæ fidei Christianæ, & conseruatione Re-  
gnorum, Prouinciarum & subditorum suorum fidelium  
dilectorum militando, contra hæreditarium & crudelis-  
simum hostem totius Christianitatis Turcam, sine hære-  
dibus è viuis excesserit, & hoc pacto regnum Bohemiæ &  
aliæ adhærentes Prouinciæ, vtpote Marchionatus Mo-  
rauiæ, Ducatus Silesiæ, superior & inferior Marchiona-  
tus Lusatia cum omnibus & suis singulis superioritati-  
bus, dominiis & libertatibus ad illos spectantibus, ad se-  
renissimam Ducissam & Dominam Annam Romanorum,  
Hungariæ & Bohemiæ Reginam, &c. coniugem no-  
stram charissimam tanquam ad germanam sororem su-  
pra scripti Regis Ludouici inclitæ memoriæ, & veram ac  
genuinam hæredem vigore libertatum, priuilegiorum &  
constitutionum Imperatoris Caroli IV. iuste deuolutum,  
quemadmodum illæ Maiestates fusius hoc in se conti-  
nent & compræhendunt. Si ex regia prosapia & stemma-  
te masculci & fæminei sexus legitime procreatus nemo  
superstes esset, quod libera electio Regis Bohemiæ stati-  
bus eiusdem regni & Prouinciis ad illud pertinentibus  
& non aliter competeret: quarum literarum Imperato-  
ris Caroli, datum Pragæ, anno 1348, Indictione prima, se-  
ptimo Idus Aprilis, & Regnorum anno secundo. Et pari-  
ter literis & reuersalibus Regis wladislai Domini Patris  
charissimi laudabilis memoriæ, expresse hoc insertum  
est. Si Dominus Deus Regem Ludouicum sine hæredibus  
per mortem auocaret, quod iuxta iura, constitutiones,  
libertates & priuilegia Regni Bohemiæ Regina A N N A,  
coniunx nostra dilectissima vera hæres regni Bohemiæ  
permansura esset: quarum literarum datum in arce Pra-  
genfi feria sexta post sanctorum Trium Regum, año 1510.  
& regnorum Hungariæ vigesimo, & Bohemiæ trigesimo  
octauo.

Octauo. Idcirco status dicti regni Bohemiæ memoratam coniugem nostram charissimam, tanquam veram hæredem & Reginā huius Regni, iuxta tenorem eiusdem Regni iurium, constitutionum & libertatum humiliter recognouerunt & receperunt. Et personam nostram post vxorem nostram, veluti veram hæredem, in Regem & Dominum suum ex sua libera & bona voluntate elegerunt & receperunt.

Quam ordinum promptitudinem, & personæ nostræ in Regem electionem & receptionem, dictis statibus, hæredibus & successoribus eorum omni clementia nostra regia cum hæredibus & successoribus nostris prosequemur & compensabimus. In eorum fidē sigillum nostrum regium hisce literis appendi iussimus, & nos manu propria subscripsimus. Datae in arce nostra Pragensi, feria tertia post diui Ægidii, anno à natiuitate filii Dei millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, & nostrorum regnorum Romani decimo quinto, & aliorum decimo nono.

☉: (2)

**E 2 EX**

EX SUPRADICTIS CLARISSIME

videre est,

C V R

IMPERATOR FERDINANDVS II. HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ Rex, &c. in Regem Bohemiæ tantum assumptus atque coronatus, & non electus fuerit.

**P**RIMO; Quia Friderici Cæsaris concessio & constitutio ita disposuit & ordinavit, quam Carolus IV. Imp. aurea sua Bulla sic quoque declaravit & confirmavit, quæ istam mentem & verba in se continent; quod in eo casu duntaxat & euentu, quando nullus ex regia prosapia semine & sanguine masculus siue foemina superstes legitimus fuerit, statibus Bohemiæ Regem eligere concessum.

Hæc Bulla inter Regni Bohemiæ potissima priuilegia asseruatur. Atque Rex Ferdinandus ex regio Bohemico sanguine, utpote Ferdinando I. auo, & Anna Regina auia sua in linea recta descendenti procedit. Ergo non fuit necesse illum eligere, quia casus electionis nondum venit.

Secundo, Wladislai Regis Bohemiæ dispositio (quæ supra scripta est, quæ itidem loco priuilegii habetur, hoc in se habet, quod filio Ludouico absque hæredibus defuncto, Anna filia soror scilicet Ludouici legitima regni Bohemiæ hæres esset. Ergo regnum Bohemiæ ad hæredes, & quidem foeminei sexus transit, nec est, prout Bohemi falso asserunt, more electiuum. Hic considera, quod

Rex

Rex modernus Ferdinandus II. nepos illius Reginae Annae fit.

Tertio, reuersales Ferdinandi I. (quas supra posuimus) sese ad dictam auream Caroli Bullam & Wladislai dispositionem referunt, & formalia aureae Bullae verba illis inseruntur.

Quarto, Status Bohemiae haec tria fundamenta pro lege sibi proposuerunt. Nam in constitutionibus, vel legibus suis, quibus seruandis aequae Rex atque status iuramento obstricti sunt, statim in primo titulo de electione Regis sub Lit. A. primo clare haec verba posita sunt. Quod si vigore Aureae Bullae Caroli Quarti, dispositionis Regis Wladislai & moderni regis nostri reuersalium ad electionem Regis res deuenire deberet. tunc, &c. Idem repetitur in iisdem constitutionibus sub B. 20. & 25.

Quinto, Ita etiam a tempore Caroli Quarti obseruatum fuit. Nam illi successit filius primus Wenceslaus. Huic Sigismundus alter filius, & cum ille tantum unam filiam post se reliquisset, ex eadem productus Ladislaus, successit, qui a Georgio Podiebatense veneno extinctus. Licet itaque Ladislai soror, quam Casimirus Rex Poloniae in uxorem habuit, superstes fuerat: tamen exclusa illa, dictus Georgius inter tumultus & seditiones totius Regni, Regnum occupauit & semper cum periculo tenuit. Postea a summo Pontifice excommunicatus obiit. Illo defuncto, exclusis filiis illius, Bohemi iterum ad ordinarium ius redierunt, & filium ex dicta sorore Ladislai Elisabetha Reginae Poloniae susceptum Wladislaum in Regem susceperunt. Huic Ferdinandus primus, eo quod Annam filiam Wladislai in uxorem duxerat, successit. Hunc secutus filius primogenitus Maximilianus secundus: Postea Rudolphus secundus filius Maximiliani; & post hunc Matthias frater

38      I N F O R M A T I O F V N D A M E N T A L I S  
Rudolphi, & iam postremo Ferdinandus Secundus, ex al-  
tero Ferdinandi primi filio, nempe Carolo productus fi-  
lius. Hic vnanimi Ordinum voto susceptus, vnctus & co-  
ronatus est: & omnes ii, qui nomen directorum sibi vsur-  
parunt & capita rebellionis sunt, ipsimet susceptioni in-  
terfuerant, prout eorum singulorum in tabulis Regni no-  
mina consignata testantur, quod etiam supra dictum est.

Ex his omnibus luce meridiana clarius elucet & certif-  
sime constat, quam impie, quam inique, quamque iniu-  
ste Bohemiæ status fecerint, quod contra omnem æquita-  
tem sapientissimum & moderatissimum Regem Ferdinā-  
dum secundum, quem Deus, natura & leges dederunt, de-  
ponere, aliumq; eligere voluerint.

Deinde quoq; videre est, an iuste fecerit Elector Pala-  
tinus Rheni, quod oblatam Coronam acceperit. Sapien-  
tius, melius & laudabilius fecisset iste, si laudabile laudabi-  
lis Principis Alberti Bauari exemplum imitatus fuisset, de  
quo vt sequitur historici testantur. Cum Alberto Duci  
Bauariæ mortuo Alberto Rege Bohemicum Regnum of-  
ferretur, ea virtute atq; animi moderatione vsus est, quæ  
postquam Reges esse cœpere, rarissime comperta fuit.

Nam venientibus ad se Bohemorum Legatis amplum  
& nobile Regnum offerentibus, gratias egit, qui se vnum  
ex omnibus elegissent, cui parere vellent, dignumq; tanto  
imperio iudicassent: Multa se idcirco debere Bohemis,  
neq; id vnquam beneficii obliuioni daturum. At cum Re-  
gis Alberti soboles extet indecorum esse cum alterius in-  
iuria Regnum quærere, paternam hereditatem nulli au-  
ferendam, qui pupillos suo iure dispolient, Diis atque ho-  
minibus inuisos, pœnas aliquando patrati sceleris dare:  
Cognouisse se non vane rumore fœdus antiquum inter  
Bohemos & Austriales extare, deficiente masculina sobole  
Prin-



Principem ne foris sumant. Fidem seruare pulchrum ne  
 cui temere noceatur cauendum, scelestam execrabilemque  
 vocem illorum, qui regnandi causa ius violandum astruunt,  
 atque ita maiorem se regno monstrauit: Et si verum fateri li-  
 cet, clarissimum egit Regem; Nam Regnum apud eos, qui  
 spernunt, non qui cupiunt.

Hæc originaliter in Historia Bohemica Æneæ Syluii.  
 cap. 57. inueniuntur, eadem quoque à Doctore Philippo  
 Camerario in meditationibus historicis Cent. 2. cap. 45.

(vt hic scripta) allegantur. Qui aures habet, audiat;  
 qui oculos, videat; qui mentem, intendat &  
 examinet; qui iudicium, ponderet  
 & iudicet, &c.

FINIS.

AC




Faint, illegible text from the reverse side of the page, possibly bleed-through from the other side of the paper.

ULB Halle 3  
004 800 869  






6 In  
 dutum, d  
 mia exp  
 uastatio  
 gnoscen  
 redierur  
 niæ non  
 beræ ele  
 Sigism  
 Archidu  
 hæreden  
 emplum  
 tius infra  
 Mortu  
 pro Reg  
 ter illam  
 hæredis l  
 nem Mo  
 Regem si  
 mitiorum  
 accersitis  
 lata fuit s  
 Succes  
 que liberi  
 rem duce  
 suspicio  
 suum obit  
 Post m  
 qui regis d  
 etiam habe  
 deret, tar  
 bracius R  
 contradic



ALIS  
 gno cum infa-  
 mitates & de-  
 rem suum co-  
 ui Sigismundi  
 Ducis Lithua-  
 tinuationis li-  
 it Albertus II.  
 Elisabetham  
 c quoque ex-  
 li I. de quo la-  
 mi elegissent  
 ste & sapien-  
 præiudicium  
 anc electio-  
 manifesta in  
 ent acta Co-  
 adislao Rege  
 & Austria,  
 aus, qui abs-  
 iliam in vxo-  
 (non absque  
 inati) diem  
 ex Polonia,  
 imonio iun-  
 ure præten-  
 gius Podie-  
 s ex statibus  
 letinuit.  
 Iose

